

litatis statu, conservata est. Cetera rerum ab eo gestarum vetustas subtraxit, quæ & locum sepulchri posteris abscondidit.

sancta  
Godefridi  
di Cap-  
penberg.  
mors,  
cœlesti-  
bus eti-  
am signis  
condecorata.

At memorabili cum primis excessu illustravit hunc annum D. Godefridus Cappenbergensis, quem Idibus Januarij Deus ad immortalem vitam evocavit, primum, ex quo à D. Nortberto Præmonstratensium familiæ adscriptus, Cappenbergensium Canonicorum Præpositus. Is postquam sub exitum anni 1125 cum Ottone fratre Præmonstratum abijisset, sacrisq; istis ordinibus initiatus esset; altero post anno, quo 18 Julij Nortbertum Archiep. introductum diximus, Magdenburgum quoq; à D. Nortberto evocatus. Paruit sanctissimi magistri sui postulato; sed brevi aulæ splendorem ac strepitus pertæsus, petijt remitti Cappenbergam ad quietioris vitæ institutum. Accepto redeundi potestate, in itinere, quo Ilmstadium deflecebat ad Cœnobium à se in Weteravia conditum cœpit lento morbo confici; ubi cum mira quadam dulcedine & desiderio cœlestis vitæ animum perfundi sentiret, convocatis fratribus petijt sibi ignosci, si quem unquam e suis offendisset. Post omnibus sacris rite provisus placidissima morte innocentis vitæ animam cœlo transmisit. Nec cœlestia signa defuere sanctitatem viri testantia; quippe sub idem tempus nivei splendoris corona ornatus, multaq; luce circumfusus, obtulit se Gerbergæ, sanctimonialium Virginum in Transaquensi Collegio apud Monasterienses Abbatissæ, quæ Ottonis patruj filia erat, ac vivo etiam Godefrido vitæ mutationem prædixerat. Inde Ilmstadij in medio choro sepultus, tumulo supra terram erecto, hodie dum aspicitur; quanquam magna pars sacrorum officij multis illustrata miraculis Cappenbergam post translata, gemino nunc mausoleo honoretur. Vastatum à Barbaris ac postremò à Succis sepulchrum, tamen ab omni hostili manu, ut mihi coram aliquando intueri licuit, intactum. Godefridus, quamvis solemnè apothecosi, quod Moguntinus Archiepiscopus sollicitarat aliquando, non sit in Divorum numerum relatus; Fasti interim & Scriptores cum Baronio & Serrario Sancti appellatione exornant; multisq; etiam in locis, cum primisq; in Hispania, à sui ordinis cœtibus festus ejus dies solemnè ritu est habitus. Mirum quot illustrium per Westfaliam familiarum Comites ac nobiles ex utroq; sexu mox ad Godefridi exemplum per contemptionem rerum humanarum se suaq; bona Deo consecrarent; quos inter post Ottonem fratrem, & Juditham conjugem, Beatrix Godefridi soror, Adelheidis Oldenburgensis Comitissæ filia ac Godefridi consanguinea, Henricus Arensbergæ Comes, Hermannus Comes de Arc, materq; ejus Hildagundis, & soror Hedwigis, Ludovicus Arnsteinus Comes, unaq; Cuda conjux. Longum ceteros eodem religionis spiritu per id tempus afflatos referre. Juditha Godefridi conjux primum ad pedem Cappenbergensis montis, constructo Virginum domicilio, cum Beatrice Godefridi sorore, Adelheide Oldenburgica, alijsq; Virginibus inclusa vixit, sub moderatrice Hedwige sanctissima Virgine, multisque ut fertur, cœlestibus prodigijs illustrata.

Plures  
per hoc  
tempus  
Comites  
& Nobi-  
les Gode-  
fridi ex-  
emplum  
secuti, re-  
ligiosæ  
viræ se  
manci-  
pant.

ANNALIUM